ſine ullo pecuniæ pretio, concedebatur reditus. Eô annô, præcipit DEUS, reditus omnibus in gente Israëlitica ad Poſſessiones suas (quas nempe antè vendiderant) detur concedaturq; ipsis; ut eas liberè posthac iterum poſſideant. Gemellum in modum nos quoq; hodieq; de bonorum cœlestium reparatione, de gratiâ nempe DEI, de vitâ æternâ, de salutis nostræ, quæ lapsu Protoplastorum nostrorum amissa, restitutione in N. F. Pentecoste S. ille Sp., qui visibili specie Festô hôc exultationis pleniſſimô, gaudiis abundatiſſimô, largiſſimè est effuſus, certiores, quàm quos certiſſimos, reddit. Hic, hic namq; pignus ac sigillum nostræ est hæreditatis: hic, hic doctor ac doctrina, medicus et medicina, amor et amator, donum et dator, vita et vitæ conſervator est. Et quidni! Unus quippe erat, qui Festô Pentecostes Apostolorum animos robore invictô ad audendum armaverat, sapientiamq; desuper immiſerat: cui reſiſtere omnes inimici nequibant. Unus erat, qui linguas humanas sic diſpoſuerat: ut variô totius terrarum Orbis, quaquaversum patet, idiomate magnalia DEI annunciarent. Unus erat: qui tantam vim miraculosè in prædicando Evangelio suggeſſerat: ut Orbis terrarum in stuporem raptus, prius crederet, quàm ſciret, quæ ac qualia audiret. Unus denique erat Spiritus S., qui efficaciam hanc verbo indidi

2 Cor. II. 5.
Eph. I. 4.